

expulsos agris finitimos cedere¹ neque quemquam prope audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinae incursionis timore sublato. Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert,² magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt⁴ controversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent³ infamiam, quae extra fines cuiusque civitatis fiunt, atque ea iuventutis exercendae ac desidia minuendae causâ fieri praedicant. Hospitem violare fas non putant; qui quacumque de causa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, sanctos habent, hisque omnium domus patent victusque communicatur.

¹a characteristic. ²retire. ³make. ⁴decide points of law. ⁵involve.

XLIV.

The Germans and the Gauls contrasted in bravery (Caes., Bell. Gall., VI., 24).

Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum¹ multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quae fertilissima Germaniae sunt, loca circum Hercyniam silvam, quam Eratostheni et quibusdam Graecis famâ notam esse video, Volcae Tectosages² occupaverunt atque ibi consederunt; quae gens ad hoc tempus his sedibus sese continet summamque habet iustitiae et bellicae laudis opinionem. Nunc quod in eadem inopia, egestate, patientia Germani permanent, eodem victu et cultu corporis³ utuntur, Gallis autem provinciarum Romanarum propinquitas et transmarinarum rerum notitia⁴ multa ad usus largitur,⁵ paulatim assuefacti superari multisque victi proeliis, ne se quidem ipsi⁶ cum illis⁷ virtute comparant.

¹population. ²a Gallic tribe. ³mode of living and bodily training. ⁴knowledge. ⁵bring them many articles for use. ⁶the Gauls. ⁷the Germans.

XLV.

The Hercynian Forest (Caes., Bell. Gall., VI., 25).

Huius Hercyniae silvae, quae supra demonstrata est, latitudo novem dierum iter expedito¹ patet; non enim aliter finiri² potest,